UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mons Thabor Sive Solitudo Exercitiorum Spiritualium

Bisling, Anselm

[Einsiedeln], 1682

Meditatio XXVI. De ejusdem Divinæ laudis per Psalmodiam excellentia, utilitate, atque devotione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60545

Visual Library

Pſal. 46. 8. pſallant, ſed *ſapienter*, hoc eſt, ut Di-
S. Carol. vus Carolus conſtituit ijs verbis: *In Divi-*
Conſt. c. 1. *nis officijs diligenter curent pronuntiationem*
Reg. 8. *integram, attentionem & reverentiam tum*
interiorem, tum exteriorem. Aut, velut S.
Baſilius exponit: *Si quis intellectum ſu-*
um intendat in verba ſingula pſalmodiæ, ſi-
cut guſtus intentus eſt ad diſceretionem ſapo-
ciborum, iſte complet, quod dictum eſt: Pſal-
lite ſapienter; imaginando nimirum ſibi
intermediam Archangelorum præſenti-
S. Bern. am, ac ſtando cum reverentiâ & diſci-
ſerm. 7. ſu- plinâ: ut vel *choreas ducant cum Angelis,*
perCantic. *S. Chryſo.* *vel de divinis laudibus & amore cum ipſis*
in explic. *Pſ. 137.* *contendant.*

MEDITATIO XXVI.

De eiuſdem divinæ laudis per Pſalmodiam excellentiâ, utilita-te, atque devotione.

Textus Reg. c. 19. C*Vm ad opus divinum aſſiſtimus, ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: Ser-vite Domino in timore. Et iterum: Pſallite ſapienter. Et, in conſpectu Angelorum pſal-lam tibi.*

Prælud. Imaginare Majeſtatem Do-
Iſai. 63. mini in cælo, in tabernaculo ſanctiſſi-
mi Sacramenti, ſedentem in ſolio, &
aſſiſten-

aſſiſtentes Seraphinos clamantes alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.

Punct. I. Conſid. Pſalmodiæ dignitatem. Nam 1. transformat homines in Angelorum ſimilitudinem, qui coram cælorum Rege ſolemnes indeſinenter agunt vigilias, & promunt laudes cæleſtium cantionum, ac inter pſallentes diſcurrunt velut inter conſortes regni; nunc aſcendentes, nunc deſcendentes ad offerendas Deo laudes ipſorum. 2. Illius delectationem: *Eſt enim gratiſſima animarum tranquillitas, jucunda cordium ſerenitas, dulcis mœrentium conſolatio, & honeſta lætantium compoſitio.* 3. Illius magnam efficaciam: ſiquidem *dæmones fugat, cælos aperit, Sanctos lætificat, Angelos in adjutorium invitat, & Deum ad miſerendum provocat.*

Pſalmodiæ dignitas, delectatio, efficacia.
B. Laur. Iuſtin. de diſc. & perfect. Monach. c. 17.
Bloſ. in can. vit. ſpirit. c. 18.
Idem ib.

A, a, a, Domine! neſcio loqui, indignus ſum tam Angelico officio, *quia vir pollutus labijs ego ſum*: ſed tu pijſſime munda cor meum, ac labia mea calculo ignito, ut dignè, & ferventer laudes tuas valeam annunciare.

Ierem. cap. 1. 2.

Punct. II. Conſid. Pſalmodiæ utilitates. 1. *Si eam ſolam haberemus; poſſet nobis per omnem vitam ſufficere ad omne ſpirituale exercitium, legendi, meditandi, Deum laudandi, & precandi.* 2. Eſt theſaurus om-

Vtilitas, fructus.
Blos. in præfat. mæd ul. Pſalmodiæ.

omnia continens ſpectantia ad emenda-
tionem, purgationem, & illumina-
nem, ſive animæ conſolationem. Vn-
Ibidem. de vocatur *turris*, *galea*, *gladius*, *medi-*
cina, *alimentum*, *lux*, *ſolatium*, *corona*.
3. Erigit fidem, ſpem, & charitatem:
docet odium peccati, contemptum mun-
di, deſiderium cæli, patientiam, ſo-
brietatem, caſtitatem, paupertatem,
obedientiam, fiduciam in Deum, con-
ſcientiæ tranquillitatem.

Magna hæc ſunt, ô anima mea, ſed
quæ utilitas in eis, ſi tepeſcat affectus,
diſtrahatur animus, evagentur lumina,
dormitent oculi, tædium diuturnitatis
obrepat; & os in riſum, aut linguam in
confabulationem ſolvatur? ô ſi æſtima-
Regul. c. 7. gr. 1. res te *de cælis à Deo ſemper reſpici*, &
quòd ab Angelis præſentibus die no-
ctuque Domino factori opera tua nun-
ciarentur, quomodo cantando & oran-
Reg. c. 47. do cum humilitate, & gravitate, & ti-
more id faceres?

Angeli docent modum pſallendi. *Ex Laurent. Iuſtin loc. cit.* *Punct. III. Conſid.* Ab Angelis doce-
ri, quomodo pſalmodia ſit peragen-
da, his verbis: *Nos ſuperi cives, & agmi-*
na ſancta interſumus choris laudantium, eo-
ultamusque in laudibus pſallentium, ſi tamen
1. diſtinctè. 2. Si *attentè*. 3. Si *vigilanter*. 4.
Si *ardenter*. 5. Si *concorditer*. 6. Si *humiliter*

dica

dicantur. *Tunc tanquam fideles Cuſtodes comprimimus immundorum ſpirituum impetus, ubiq; alacres & feſtivi:* O SI LICERET VOBIS NOS OSTENDERE, PRORSVS OMNIS TORPOR ABSCEDERET, OMNISQVE IGNAVIA FVGARETVR. *Econtra eas laudes abjicimus, quæ negligenter pronunciantur; indignamur oſcitantes, tædioſos, tepidos, labijs quidem Regem noſtrum honorantes, ſed corde longiùs remoto, dum non invenimus, quid offeramus, noſtram mox præſentiam ſubtrahimus.* Ecce hæc Angeli: examina te ſuper omnes conditiones, & ſic ora ad SS. Angelos.

Indignantur contra luridè pſallentes.

O fideliſſimi Cuſtodes noſtri nolite elongari à nobis, nolite nos ponere vobis abominationem, ſed excitate dormientes, & ſtimulate tardantes, removete tentationes, & adjuvate pſallentes.

Vt purè, alacriter, concorditer, & ſolemniter ſemper in corde, ac jugiter ore Domino decantemus, ſervientes ei in timore, pſallentes ſapienter, & in conſpectu Angelorum adoremus, & confiteamur Nomini Domini altiſſimi.

CON-